



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Poloni, Societatis Jesu,
Praelectionum Theologicarvm Tomus**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 1. Quomodo per alios derivatur in merita Christi
dignitas infinita?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82973)

Punctum Difficultatis I.

Quomodo per alios derivatur in merita Christi dignitas infinita?

EXPLICARI potest 1. ex Suar. disp. 4. Sect. 4. **E**ut videre est, in responsione ad argumentum 2dum, quod id fiat duplici titulo. Imprimis ex parte personæ operantis, quæ quodam modo per se ipsam informat moraliter suam operationem: deinde ex parte unionis illorum actuum ad personam; quod ipsum sic declarat. Unio hypostatica, est quædam infinita dignitas humanitatis assumptæ, quia persona simpliciter infinita, est illi humanitati conjuncta realiter, & per dictam unionem mirabili modo illam afficit, & sustentat: porro actus, & passionis illius humanitatis, in tali persona, habent similem quandam conjunctionem, quasi hypostaticam, cum eadem persona, quamvis mediante naturâ; ratione ergo hujus conjunctionis, habebunt infinitam quandam dignitatem. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia non respondet ad punctum difficultatis: quæro, unde habent infinitatem merita Christi? respondes, ab unione ad Personam Christi; quæro, hæc unio cum non sit physica, nec ponat ullum realem modum in ipso actu, respectu VERBI, qui ergo fieri potest, ut derivet infinitatem in opera Christi? respondes, quia participant moralem valorem & æstimationem? de quo ipso quæro, quomodo illum participant? Idem propositum sic aliter urgetur: quæro, quare merita Christi habent infinitum valorem? respondes, quia uniuntur quodammodo VERBO; quæro ulterius, quare uniuntur quodammodo VERBO, unione infinitatem fundante? respondebis, (ut videre est in discursu Suarii) quia principiantur ab humanitate unita VERBO. Hoc autem, puncto difficultatis non satisfacit. Tum quia multa sunt, quæ profecta ab humanitate unita VERBO non habuerunt infinitatem, ut resuscitatio Lazari, conversio aquæ in vinum, & cætera, similia. Tum quia multa proficiuntur ab humanitate unita VERBO, quæ non perunt uniri VERBO; Ergo pro ratione, cur uniuntur VERBO, non potest ultimò dari, quia proficiuntur ab humanitate unita VERBO; nec sufficit recurrere; quod recipiantur in natura unita VERBO; nam etiam albedo in Christo recipitur, nec tamen habet infinitatem. Tum quia, si recurras ad hoc, quod persona operans, per se ipsam, informat moraliter suam operationem: quæro ulterius; qui fiat, ut persona operans, informat suam operationem, informatione fundante infinitatem? & certè dicere, quod ideo sint infinita illa opera, quia informantur moraliter à personâ, quia uniuntur saltem mediâtè, nihil est aliud dicere, quàm quod natura terminetur à personâ infinita, in qua natura, illæ actiones recipiuntur; de quo ipso quæro: cur, si

natura sit terminata à personâ infinita, moralis valor infinitus, ex illa forma, & ex illa unione, derivetur?

NON SATISFACIT 2. Quia recurrit hæc explicatio ad mediatam unionem personæ, cum illis operibus, quæ unio non potest esse physica, aliàs transacta illâ actione, dimitteret VERBUM, quod semel assumpsit. Si autem illa unio est moralis mediata: explicandum veniret; in quo illa stet, quomodo per illam derivetur infinitudo, cur item illa merita sint infinita, & non tantum est infinitum id, cui conjunguntur? Explicat item difficultatem, per difficultatem; qui enim nescit, vel negat infinitatem meritum Christi, nescit, & negat infinitatem unionis; deinde hæc unio, cum sit physica necens physicè infinitum, hoc ipso adest infinitatem; sed quis similis nexus inter meritum & personam?

NON SATISFACIT 3. Quia hæc dignificatio deberet esse ex sensu Suarii moralis. Simo-ralis quæro, vel habent plus illa merita in suo genere, quàm habeant in ordine humano merita dignificata regalitate, vel non habent? si habent plus: ostende, quomodo id derivetur ab illa infinita personâ? si non habent: Ergo sicut actiones dignificatæ regalitate, in re non plus habent præ actionibus plebeji, sed merè habent nonnisi acceptationem humanam; ita & merita Christi, in re erunt finita, & ex mera nonnisi acceptatione, plus habebunt.

Pater Moravuski hic quæst. 2. artic. 4. dicit: Actiones Christi Theandricas, non esse simpliciter infinitas, secundum quod actiones sunt; quia sic sumptæ personam Verbi non dicunt, nisi extrinsecè; licet merita Christi, & actiones Theandricæ, in quantum habent rationem meriti, sint simpliciter infinitæ: eò quod meritum dicat tanquàm partem intrinsecam, ipsammet personam merentem, infinitè dignam. *Hæc ejus doctrina*

NON SATISFACIT. Tum quia sufficit, quod actiones ipsas Theandricas, dignificet persona, per modum principii, complementis principium elicivum actionum Theandricarum. Ergo & sufficiet dicere, quod etiam merita non constituentur personam tanquam parte, sed tanquam principio dignificante. Tum quia actiones Christi Theandricæ non distinguuntur realiter ab actionibus Christi meritoriis: Ergo & eadem debent habere sui constitutiva intrinseca: hoc ipso enim non essent idem realiter: Ergo cum ipsæ actiones Theandricæ, non constituentur tanquam parte, personam divinam, nec constituentur merita. Antecedens autem ex eo probatur; quia nullum est inter hæc distinctionis fundamentum, præcipuè dum conjungitur actio Theandrica merito. Et hoc etiam habet communis apprehensio, quæ censet merita Christi, esse actiones Theandricas. Tum quia Monachus theli-

tholicarum in eo fuit hæresis, quia putabant desiderari in Christo aliquod principium volitionum humanarum, eò quòd desideretur persona humana, sine qua, non potest esse volitio humana, negavitq; id antiquitas Catholica, eò quòd putaret, posse esse volitionem humanam & creatam, sine persona humana & creata. Quod si ponatur, merita creata, componi, tanquam parte constitutivâ, personâ merentis, jam in Christo non dabuntur ulla merita creata, adeoq; & nulla; quia merita increata impossibilia sunt. Addo: revera videtur immeritò & contra recto docentem antiquitatem poni, quòd actiones Christi Theandricæ, non habeant, secundum quod actiones sunt, infinitatem simplicitatis, supposito, quòd infinitatem simpliciter habeant, secundum quod merita sunt. Nec obest, quòd actio Theandrica, dicat personam Verbi tanquam quid extrinsecum; nam hæc infinitudo actionum Christi, cum non sit entitativa & absoluta, sed respectiva, bene poterit haberi ab aliquo extrinseco. Addo præterea, si fiat parallela, unde ex definitione partis inferetur, actionem Theandricam, non componi personâ, tanquam parte: inde inferetur, etiam meritum Theandricum non componi personâ tanquam parte.

EXPLICARI potest 2. ex Vasquez. Docet ille, infinitatem meritorum Christi, desumi ex infinita sanctitate naturæ humanæ unitæ VERBO: docet enim ipsam divinitatem in Christo, esse quasi formam sanctificantem, & veluti unguentum, quo ungitur; tamen si id efficiat, non per effectum formalem intrinsecum, sed per extrinsecam denominationem,tribuendo naturæ humanæ effectum quandam morales sanctificationis. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quia non resolvit difficultatis punctum: quæro, cur merita Christi habent infinitum valorem? Respondet, quia dignificantur infinitâ sanctitate divinitatis: quæro ulterius, quid dignificari possint infinitâ sanctitate divinitatis? respondet, per extrinsecam denominationem: quæro ulterius, quid dignificari possint per extrinsecam denominationem? respondet tribuendo effectum moralem sanctificationis: de quo ipso quæritur, quid illum tribuere possit?

NON SATISFACIT 2. Infinitus ille valor, non potest esse denominatio extrinseca secundæ intentionis; nam esse infinitum valorem meritorum Christi, non pendet à nostris conceptibus, sed in objecto est: Ergo illa denominatio extrinseca est primæ intentionis. Sed quæro, quomodo deveniri possit ad illam denominationem extrinsecam? Et certè denominatio extrinseca dextri, nihil aliud est, nisi manus v.g. fortis, & paries: Ergo etiam denominatio extrinseca infinitatis meritorum Christi, erit ipsum meritum, & sanctitas divina infinita: de

quo quærere restat, quid illa sanctitas derivet, ut verè illa merita sint infiniti valoris?

NON SATISFACIT 3. quia infinitas illa operum, quæ est per denominationem extrinsecam, quæ est per effectum quandam morales sanctificationis, vel est ita morales, ut sit sola imputatio infinitudinis; & præter dicta, quærere restat, quod est fundamentum illius veræ imputationis? Si autem non est sola imputatio: explicandum erit, quid sit illud, & quonam modo fiat ille effectus morales sanctificationis?

EXPLICAT 3. Lugo. Multisq; aliis præjactis, hoc habet: quòd scilicet opera Christi, quamvis sint ex aliis capitibus finita; & quamvis non à VERBO proveniat, quòd sint digna præmio, à VERBO tamen provenit, quòd respectu illius personæ, nullum sit magnum præmium, nisi infinitum: infinitat ergo Persona VERBI illa opera, non nisi objectivè, quatenus ex infinitate Personæ sit, ut quodcunque præmium respectu illius operis sit parvum, nisi sit infinitum. Illustrat hoc inter alia, tali instantiâ. Finge duos Deos, quorum unus vellet alteri dare munus, tanto donatore & donatario dignum, quidquid creatum sibi ad invicem darent, illud tanti æstimaretur, ac si rex unus alteri pomum daret, vel nucem; cum ergo Christus sit verè Deus, præmium quodcunque creatum & finitum, respectu illius, non est proportionatum. *Hæc Explicatio*

NON SATISFACIT 1. Quæro, cur sint opera Christi valoris infiniti? respondebis, quia attendit Persona infinita, nullum respectu illius Personæ, condignum est præmium, nisi infinitum: quæro ulterius, quid communicetur illi ipsi operi æstimabilitas tanta? *Hoc ipsum sic urgetur*: quæro cur opera Christi habeant infinitatem valoris? respondes, quia dignificantur à persona infinita; quæro quid sit hoc, dignificari illa à persona infinita? respondes, digna reddi præmio infinito; de hoc ipso quæro, quomodo id in illas actiones derivetur, ut assurgant ad hanc dignitatem? respondes, quia illa dignificatio objectivè persona infinita: de hoc ipso quæro, quid fiat ista dignificatio objectiva, & quid ponat in ipsis meritis?

NON SATISFACIT 2. Quia docet Iugo valorem operum Christi esse infinitum, & tamen non est explicabile in principiis illius, quomodo hic valor derivetur in merita? & certè nõ ideo; quia taxantur esse digna præmio infinito, habent illa merita valorem infinitum: sed potius quia habent valorem infinitum, taxantur digna præmio infinito; de quo ipso valore quæritur, undenam sit, & quomodo derivetur?

NON SATISFACIT 3. Quia valor ille, vel est physicus, vel morales, ut dicebatur in simili. Si physicus, qui acquiritur: si morales, vel sola imputatio, vel plus aliquid: si plus aliquid, quid illud? si non plus, ergo non habent valorem & taxam infinitam, sed solum putantur habere.